166rA extenuatus. Ostenditur vero tamquam quieti et ocio dedita debet / esse naturaliter pinguis et carnosa, cum nullis laboribus fatigetur; *hii vero pingues*, et hoc quantum ad immutationem, et hoc proprium natura cuiusque exigit. Et viri quidem mulieribus omnino sunt calidiores, quantum de calida materia generantur, in calidiori loco matricis quia in dextero et nutrimento magis calido nutriuntur, mulier vero econverso de frigida materia generatur in frigido loco matricis, id est sinistro et frigido nutrimento nutritur; vel dicatur: viri calidiores sunt mulieribus quantum ex proprietate sexus. Sexus masculinus calidus iudicabitur et siccus, femininus vero frigidus et humidus; *forciores*, ex multitudines spirituum, per calorem generatorum secundum naturam. *Merito in eis pulsus fiunt velociores*, quia per caliditatem superfluam consumitur, unde libere discurrunt spiritus per arterias quare fiunt velociores pulsus, licet dicatur quod calor lenigat et subtiliat spirituum, unde velociores pulsus; *et hee vehementiores*, id est forciores propter multitudinem spirituum mulièrum vero frigidorum, tardiores propter frigiditatem mortificantem superflua in matrice unde libere non fit disgressus spirituum. Enim, pro quia, per frigiditatem spiritus incrossatur, unde debilis ad motum repperitur *et leviores*, id est debiliores, frigiditas enim conservativa est superfluitatum, unde membra tarde sunt ad motuum. *In utriusque vero horum, viris et mulieribus, intensa crasis*, id est intensa qualitas, *intendit et pulsus*, id est operatur intensionem proprietatis pulsus, caliditas enim operatur augmentum pulsus, frigiditas vero incrementum. *In calorum quidam masculino*, scilicet sexu fiunt maneries propter multitudinem spirituum, *et velociores* propter abscentiam superfluorum et aere enim pro quia *calidus*, id est caliditas sive calor resolvendo et consumendo, superflua et spiritus depurando facit. *Velociter mobile*, id est causa est velocis
166rB motus. *In frigidiori vero*, scilicet feminino sexu, fiunt pulsus / *maneries proprie*, id est parvi, propter defectum spirituum et vere; enim pro quia *frigidum facit tarde mobile*, id est frigiditatis est causa tardi motus, dum multa generantur superflua, et spirituum deficit generatio. *Habitudines vero in utriusque inveniuntur*, tam in viris quam in mulieribus, *velud gracile et carnosum*, id est gracilitas et carnositas, auctor innuit in hoc loco qualiter pulsus debeat considerari in utriusque secundum habitudinem; *in gracilibus enim multo subiacent tactui pulsus*, id est in eis facile pulsus occurrat nostro tactui, quia arterie esposite sunt et ideo non debemus in eis comprimere arterias, ne propter compressionem spiritus digitos constringat comprimentis; *in pinguibus vero et carnosis sunt humidiores*, id est occultaciores, propter molem carnis superposite qua aggravantur, unde minus arteriarum motus

manifestatus in talibus occurret, forcius ergo hiis digitis comprimendi tantum quantum arteriarum motus digitis occurrat.

Docuit nos auctor considerare pulsus et ipsorum varietates attendere, secundum complessionem, sexum, habitudinem; nunc nos docet considerare varietates, inmutationum in pulsibus, secundum coniugata. Appellat autem coniugata tempora, regiones, etc. particularia eo quod coniugata sunt et associata rebus dicit ergo: *Considerandum est igitur*, id est consideratio in pulsibus attendi debet, vel convenit nos considerare. *Ad coniugata*, id est ad ea que in simul coniunguntur et operantur alterationem in pulsibus, *velut regiones, tempora, etates, particulares constitutiones*, id est alia particularia. *Et est*, id est convenit nos *dicere quod in temporibus quod anni quattuor existentibus vere estate autupno et yeme horum bene temperata sunt duo ver et autupnus*, ver dici-
166vA tur temperatum respectu estatis, et estas / intemperata respectu veris, in caliditate enim magis excedit estas quam ver (13). Item ver minus excedit in humiditate quam yems; autumpnus vero minus excedit in siccitate quam estas, et minus quam yems in frigiditate; ergo sic ista dicuntur temperata non simpliciter, sed respectu veris et autumpni. *Distemperata vero yems et estas*, cum intensas habeant plurimum qualitates, et quandoquidem ver et autumpnus sunt temperata, merito ergo ⟨in⟩ vere et autumpno pulsus sunt magni; et *valde fiunt fortes*, in vere enim multa fit sanguinis generatio, multiplicatio et virtutum confortatio, unde pulsus magni et fortes; unde hoc habeat fieri ipse subdit *propter augmentum qualitatis* quod habet ita duo tempora respectu aliorum duorum.

*Manifestum est quoniam secundum etates proporcionaliter*, id est, similiter, magni et fortes pulsus fiunt propter temperamentum in etatibus (14); si enim etas fuerit in complessione temperata, ut infra dicam, videlicet in etate qualitatum fit temperamentum similes pulsus predictis fiunt, si vero non contrarium, prout in subsequentibus patet.

*In estate vero fiunt velociores* propter calorem dissolventem res et consumantem superflua, unde libere discurrit spiritus per arterias; *et spissiores* per calorem dissolventem humiditatem in fumositate et eas in spiritum extenuantem; *secundum unamquamquam etatem* id est in qualibet etate, *necessitates inducentem* in aere cogente. In qualibet enim etatem aerem necessario attrahimus calidum, qui humiditatem dissolvit et spiritum consumendo extenuat, *propter continentis nos extrinsecus aeris caliditatem*, qui nos immutat ad propriam crasim.

*In yeme vero et rariores pulsus fiunt* propter frigidum multiplicantem, superflua impedientia vias spirituum, fiunt parviores propter modicam

(13) GALENUS, *Ibid.* XIX 632 K.
(14) GALENUS, *Ibid.* XIX 635 K.

generationem spirituum et ipsorum compositionem factam, *propter continen-*
166vB *tis nos aeris frigidum aut constrictionem cordis*, scilicet arte/rie dum frigiditas condensatur, humiditas et corpus arterie coartat et constringit. *Similiter autem in unaquaque regione*, id est secundum dispositionem uniuscuiusque regionis; *et secundum illius crasim*, id est secundum complessionem commutantur pulsus, et vere *quia calidior quidem regio magnos et veloces pulsus operantur* propter caliditatem ampliantem arterias et multiplicantem spirituum; *frigidior et econverso* facit pulsus parvos et raros.

De immutatione pulsuum secundum diversitates etatum. Auctor supponit dicens: *dicamus autem de etatibus* id est variemus pulsus secundum etates varietatum, *si igitur etates differentes sunt, et pulsus eorum, differenter moriebuntur;* secundum diversitatem etatum fit diversificatio pulsus. Et qualiter fiat ipse ostendit, *puerorum siquidem pulsus veloces sunt* quia licet in eis multa sit humiditas tamen quia fluxilis est non impedit vias spirituum. Preterea ipse: dupplicem esse calorem et terciam caliditatem videlicet contracta a moneta conceptionis, et calorem contractum ab influentibus et terciam caliditatem contractam a generantibus et componentibus que omnia ad rarefactionem illius humiditatis operatur. *Leves*, id est mediocres; ipse dicit: *secundum magnitudinem vero et medii* quia cum defective[m] sint virtutes in eis, non tamen nimis defective; *et veloces quidem fiunt* in eis pulsus, *quoniam secundum naturam habundat in eis naturalis calor*, id est substantialiter secundum numerum est in eis duplex calor et tercia caliditas. *Spissi vero propter habundantem caliditas in eis secundum quantitatem*, secundum diversa subiecta, quanta differentia specie, plura enim subiecta caloris fiunt in pueris, quam in mulieribus et aliis. ⟨In pueris⟩[n] enim ossa et omnia membra iudicantur calida, *lenes vero* id est mediocres; *quoniam imperfecte sunt in eis virtutes*, debet enim adhuc in eis congrua fieri humorum generatio, competens spirituum reparatio, decens et oportuna membrorum restauratio, unde subdit *dicimus enim quod leves ex imbeccillitate virtutum fiunt senum,*
167rA *vero econverso tardiores sunt pueribus* / propter multitudinem superfluorum et rariores quantum ad pueros id est respectu puerorum qui non habent perfectionem virtutum *propter eam imbeccillitatem* et pro ⟨quia⟩ id est frigiditatem que in eis sunt. Ipsi enim habent debilem calorem, paucitatem spirituum, et multitudinem superfluitatum; *augmasticorum* id est iuvenum que non crescunt, sed quia in complemento virium robore consistunt; *sunt magni*, propter calorem spiritus multiplicantem; *et fortissimi eo quod fortes in eis sunt virtutes similiter mutant crases*, pulsus si enim sit calidum tempus pulsus operatur magnum, si siccitas frequentem, et sic de ceteris. *Sicut enim predictum continens immutat contentum ut ad propriam crasim*, id est secundum suam proprietatem, nam si corpus fuerit calidum et tempus illud erit calidius, si vero corpus frigidum minus frigidum in calido tempore, et sic de ceteris.

*In pregnantibus* etc. variat auctor nunc pulsus in pregnantibus mulieribus
dicens: *in pregnantibus mulieribus fiunt pulsus parvi*(15), hoc videtur plane, con-
trarium inquid enim CONSTANTINUS in *Pantegni* quod in pregnatibus
fiunt pulsus magni (16). Ad hoc dicimus quod CONSTANTINUS, dum
dixit quod in pregnantibus fiunt pulsus magni, intellexit de pregnatibus in
principio existentibus in quibus, cum fetus tanto non indiget nutrimento,
nec magnitudine quantitatis opressionis causa existat, multiplicatur san-
guis et spiritus, a quibus magnus pulsus, a quarto vero mense in antea,
cum[o] fetus multo indiget nutrimento et multa oppressionis causa existat,
tum ex complessione, tum ex defectu[p] spirituum et sanguinis pulsus occu-
rrit magnus et spissus, propter oppressionem; *et velox* quia superfluitatem
ad monetam conceptionis, scilicet ad corporis sentinam diriguntur. Unde
spiritus libere transeunt ad arterias; *et per arterias parvi quidem eo quod gravetur
virtus ex feni*, virtus spiritualis ipsius mulieris propter defectum humorum et
spirituum in spiritualibus, cum ad fetus nutrimentum et vitam transmu-
167rB tantur, quia predicta duo / partim mittuntur ad nutrimentum et ad vitam
fetus, partim deputata sunt ad vitam mulieris, eis ubicumque deficienti bus
causa debilitatur. Et ideo tales pulsus *spissi et veloces propter inducentem ventosi-
tatem*, id est propter ventositatem inductam indiget aeris attractionem tum
ad mitigationem caloris cordis ipsius fetus, sed quoniam spiritualia preg-
nantis, coangustata sunt et constricta propter oppilationem nutritivorum,
ea opprimentium non possunt in una vice tantum dilatari, ut tantum in
una vice attrahat de aere quod sufficiat ad mitigationem cordis mulieris et
cordis fetus, unde quod negatur in quantitate suppletur in vicissitudine, et
sic habet fieri spissa inspiratio post spissam inspirationem, spissa sequitur
expirationem, et sic spissi pulsus et veloces fiunt; propter abscentiam
superfluitatum transmissarum ad ipsam matricem unde libere aditus patet
ipsis spiritibus per arterias, et sic libere discurrentes spiritus, per arterias,
veloces operantur pulsus.

*In sompno autem fiunt pulsus minores et leviores* (17), hoc videtur plane, CONSTANTINUM: cum enim calor et spiritus ad interiora revocentur, pulsus ⟨minores⟩[q] debent fieri. Ad hoc dicimus quod, licet calor et spiritus ad intrinseca revocentur, non tamen ad qualibet intrinseca sed tantum ad nutritiva, ut perfecta digestio celebretur, cum igitur in spiritualibus deficiunt ad ipsa spiritualia calorem et spirituum a se emittunt ad perfectam digestionem celebrandam in nutritivis; ob hoc fiunt minores et leves, id est

(15) GALENUS, *Ibid.* XIX 636 K: quum et praegnantium mulierum pulsus parvi sunt.
(16) GALENUS, *De causis pulsuum*, 8, IX 131 K: Praegnantium majores crebriores celerioresque pulsus sunt.
(17) GALENUS, *Ibid.* IX 131 K; *De pulsibus ad Antonium* XIX 632 K; *cf.* IX 138 K.

debiliores et qua re ipse insinuat. *Manifestum est quod pulsus minuitur naturali calore ingrediente ad profundum*, id est ad nutritiva.

Superius variavit auctor pulsus secundum naturales complessiones, nunc ipsos variat secundum accidentales, dicens sicut inmutatur pulsus
167vA secundum naturales *vero pro se*; *in supervenientibus*, id est in hiis qui superve/niunt complessionibus naturalibus; *ad supervenientia*, id est secundum accidentales complessiones supervenientes, *Mutatur*, pulsus dixerat auctor superius quod in gracilibus multo subiacent tactui, id est pulsui, at ne aliquis putaret quod semper in gracilibus fiunt multi per presentem litteram removet auctor dicens: *similiter autem et gracilibus*, pulsus permutantur ad superveniencia dum in eis pulsus scilicet sit parvus *ut quando secundum naturam*, id est secundum sui genituram scilicet secundum defectum spirituum et humorum, ex quibus quasi generari dicuntur virtutes. Ideo genitura et virtutum fit et humores, ex quibus virtutes spirituales quasi generantur et reparantur ad suas peragendas actiones, excita⟨n⟩tur. *Virtus patitur*, id est debilitatur virtus, scilicet spiritualis, et ista duo depereunt; *aut secundum substanciam alitus partis principalis*, id est propter lesionem substancie alicuius membri principalis, utpote cerebri, spiritualia ei a paciencia spiritum et calorem a se emittunt ad coadiuvamentum cerebri, quare dum spiritu et calore pauperata pulsus magnus fieri non potest; *aut ab aliqua causa faciente* egritudinem vel faciente, id est in nocente, et *gravante eam*, id est virtutem; ut intelligatur de humoribus, dum enim humores preter naturam habundant in spiritualibus, spiritus propter oppilationem ipsorum humores non possunt meatus libere pertransire, unde parvi fiunt pulsus.

Variavit auctor pulsus secundum naturalia, nunc variavit eos secundum non naturalia dicens: *veniamus igitur ad ea que non naturalia* (18), id est variemus pulsus secundum res non naturales, *hec vero* scilicet non naturalia *sunt*
167vB *gignasia*, id est exercicia; exercicio namque / calor intenditur et multa fit humiditatis dissolutio, et ex eis, per dissolutionem, plurima fumositatum generatio ideoque magni pulsus.

*Balnea*, secundum varietatem balneorum variantur pulsus, quia balnea calida et humida operantur pulsus magnos et raros, calida et sicca magnos et frequentes, et sic de ceteris. *Cibi multi*, a cibis multis multa resolvitur fumositas et ideo pulsus magni. *Aque multe*, potatio ex aqua multa potatione pulsus fit parvus, dum caloris sequitur debilitas, et pauca fumositatum fit generatio.

Intendit auctor variare ultimo secundum ea que sunt contra naturam dicens: *Similiter et hiis*, id est ex hiis; *que preter naturam hoc est ex causis egritudi-*

(18) GALENUS, *De pulsus ad Antonium* XIX 633 K: Veniamus igitur ad ea quae non natura, haec sunt exercitia, balnea, cibi multi, vini potus, aquae multae potus.

*num*, ut a primitiva accedente et mutante, ut si calide faciant magnos si frigide parvos. *Ex accidentibus ut calor, frigor et cetera*, ⟨id est ex⟩ anime passionibus, ex quibus consueverunt supervenire egritudines, variantur pulsus, sed ne aliquis putaret quod, tantum parvum genus predictorum, perfecta pulsus noticia possit haberi.

Intendit, hoc, auctor assignare ut, si quis plene noticiam et doctrinam perquirit habere, omnium supradictorum collectionem investiget et sic eam habebit. Dicit ergo: *similiter autem secundum predicta oportet nos considerare, sciendum est ea que sunt contra naturam*, id est naturalia; et *que contra naturam*, id est non naturalia *si inmoderate fiant id quod est preter naturam trahunt pulsus* scilicet si intendantur, intenduntur et pulsus.

*Cum igitur, etc.*, hic tunc decisionis est principium in quo PHILARETI versatur, intentio ut nos instruant diversa genera pulsus investigare evidentiorem pulsus noticiam obediendam.

Docet nos in primo considerare sexum secundum complessionem, tercio etatem, quarto[r] temperamentum animi, quinto regiones, ut medicus,
168rA circa hec et alias circumstancias instructus, et omnia / comparans et coniectans, sciat conversionem pulsus esse factam preter naturam. Considerandum est igitur pulsus, secundum predictas et ceteras alias proprietates, in arteriis eo quod ipse tamquam a corde procedens perfecte ipse dispositionem cordi declaret, non tamen in quibuslibet. Sed in quibusdam enim arteriis pulsus non est considerandus propter indecentiam, ut in arteriis inguinum; in quibusdam propter remotionem, ut in arteriis pedum; in quibusdam quia mole carni sunt cooperte, ut in arteriis naticum et coxarum; in quibusdam propter parvitatem, ut in arteriis frontis et timpanarum; in quibusdam quia occulte sunt, ⟨ut⟩[s] in arteriis magnum igitur et pedum. ⟨Pulsus⟩[t] considerandum est in artariis brachiorum et non cuiuslibet bracchii, sed sinistri tantum, cuius rei rationem talem quidam assignant.

Dicunt quod cor sit locatum in sinistro latere et continuo exsufflat in dextrum latus, unde si aliqua fit in corde permutatio omnibus membris magis agnoscitur.

Nos autem dicimus quod a corde tres procedunt arterie, quarum una est parva, due vero magne.

Parva arteria a corde exiens nullo medio transmittitur ad sinistrum armum, et ei infigitur, a quo nullo medio transmittitur ad sinistrum brachium quia perfecte declarat dispositionem cordis, et sine fraude, ideo pulsus ibidem consideratur.

Arterie autem venientes ad dextrum brachium, veniunt ad ipsum multis mediantibus, mediante videlicet pulmone et aliis amfractibus, unde

quia secundum varios anfractus dividitur, et secundum eos immutatur pul-
168rB sus in dextro bracchio / non perfecte considerari potest.

Ergo debet considerari pulsus in sinistro brachio hoc modo; patiens non iaceat supra dextrum latus, nec super sinistrum, nec teneat brachium extensum, nec plicatum in pugnum, sed inter hec adsit mediocritas. Medicus vero, quattuor digitos ipsius arte apponat, consideret secundum tres dimensiones: longitudinem, latitudinem et profunditatem; non valde comprimendo, nec leniter applicando et si quidem pulsus occurret quattuor digitorum pulpas (19)[u] ventriculis et eos repercuciat magnus iudicabitur. Si vero non parvus, nec medius, docet nos auctor qualiter pulsus debeat considerari in hac tercia ⟨distinctione⟩ quia omnia predicta sunt attendenda in consideratione pulsus.

*Cum igitur ad egrotum ingredieris* (20) *quem numquam vidisti, attende prius si masculus aut femina et si consideraveris pulsus masculi.* Masculinum enim sexus calidus est, et siccus, unde in eo pulsus debet esse magnus et frequens. *Si vero femina consideraveris pulsus femine.* Femininus enim sexus frigidus est et humidus, ergo debet esse in ea pulsus parvus et rarus. *Deinde* consideraveris *naturam*, id est complessionem, *et eius etatem*: utrum adolescens sit, vel iuvenes, senes vel ultimo senio collocatus. *Post hoc anni tempus consideraveris et regionem*, si patiens masculini sexus: de complessione est calida, in calida et sicca etate, et etiam in calido et sicco tempore, in simili regione pulsus erit magnus et frequens si vero adsint plura istorum et non omnia; maior et frequentior si vero pauciora erit magnus et frequens, si vero fuerit frigida de complessione erit mediocris. Item si fuerit mulier et sit de complessione frigida pulsus erit parvus, si vero calida pulsus erit mediocris. Si autem cum calida complessione concordet etas, tempus anni, regio, pulsus erunt intensi; si vero hec omnia concordent cum sexu, pulsus parvior erit et
168vA rarior. *Et comparans omnia et coniectans qualem pulsus opor/tuit habere laborem quando sanus erat*, id est cognoscas qualem habet differentiam a pulsu quem habebat quando sanus erat, *et tunc cognosces diligenter magnitudinem conversionis pulsus*, magnitudinis dico, *facte preter naturam.*

*Quod sunt genera pulsus?*

Intentio FILARETI in hac tertia ⟨distinctione⟩ est diversa genera pulsus evidenter exsplicare, que dicuntur genera non quot sint predicabilia de

(19) *Loci medici*, p. 175: si autem in longitudinem plusquam in aliam extendatur partem, quod est cum quattuor excedat digitos, longus nuncupabitur.

(20) *De adventu...*, p. 74: Data ergo securitate aegro interea jam spiritu quiescente pulsum consideres...; *cf.* MICHAELIS SCOTI, p. 655: Item dicimus quod medicus debet cognoscere conditionem pulsus cuius genera sunt decem...

pulsibus differentibus in eo quod est, sed dicunt genera, id est quedam pulsus differentie, secundum varias medici investigationes.

Considerate sunt autem septem genera pulsus principalia (21), duo his adiacentia genera pulsus, que sunt octo, considerantur secundum quattuor proprietates: secundum proprietatem motionis, secundum consistentiam organi, secundum spacium diastoles et sistoles, secundum collectionem aperte more, ad doctrinam; secundum quantitatem motionis duppliciter, scilicet secundum quantitatem motionis cum qualitate, quia secundum quantitatem aut motio magna vel parva vel mediocris, in qua consideratur primum genus pulsus, an sit velox, vel tardus, vel mediocris. Item an motionis percussio, fortis, debilis, vel mediocris secundum consistentiam organi, id est habitudine cordis arteria, consideratur tria genera pulsus scilicet quartum, octavum et decimum; quandoque vero arteria est dura, vel mollis, vel mediocris; item quandoque arteria est plena spirituum, vel vacua, vel mediocriter habens de spiritu, et in hoc consideratur octavum genus pulsus, an sit plenus, vacuus vel mediocris. Item aut arteria sit mordax vel frigida, et in hoc consideratur decimum genus pulsus, an sit calor mordax, vel frigidus. Secundum spacium diastoles et sistoles consideratur quintum genus pulsus, an sit spissus, tardus, vel mediocris: si multa mora sit inter diastolen et sistolen pulsus dicitur rarus, si parva spissus et secundum collationem aperte more ad occultam moram consideratur, nonum genus pulsus quandoque maior est aperte (22) mora, id est diastoles, occulta, id est sistoles, quandoque econvessa; et in hoc consideratur octavum genus pulsus, an pulsus sit decidens vel incidens.

Incidens, sensui nostro occurrit; decidens, a sensu nostro cadens; siqui-
168vB dem maior fit aperte / mora occulta licet pulsus repercuciat quattuor digitorum ventriculos, secundum latum longum et profundum, pulsus dicitur decidens; si vero maior sit, occulta mora aperta, pulsus erit decidens. Secundum consistentiam vel eorum permutationes considerantur septimum et octavus genus pulsus, an servetur qualitas vel inequalitas, et hoc consideratur septimum genus pulsus an pulsus sit ordinatus vel inordinatus.

(21) ALFANUS, p. 15: De pulsibus V habentur considerationes: Prima secundum proprietatem motionis arteriarum, secunda secundum consistentiam organi, tertia secundum spacium dyastolis et sistolis, quarta secundum collationem more apertae ad occultam, quinta secundum consistentiam et permutationem.

(22) ALFANUS, p. 16: Pulsus praeterea aut apertus secundum naturam aut praeter naturam. Apertus secundum naturam prodigalitatem significat et extensionem animi et consiliorum propalationem et caloris fortitudinem et obedientiam arterie ad dilatationem. Apertus vero praeter naturam fumositatis copiam declaret et caloris excessum in vinosis et febricitantibus.

*Quot sunt genera pulsus?*

Decem (23), sicut predictum est. Secundum proprietatem motionis consideratur primum genus pulsus; secundum, an sit pulsus magnus, vel parvus, vel mediocris, et sic de ceteris.

Pulsatio autem nil aliud est quam quedam percussio arteriam perfectam rem impellentem, scilicet spirituum. Unde sciendum est quod quandoque calor fortis existens, scilicet in corde, multitudinem generat spirituum, quidam, in multa quantitate, per arterias mittuntur eas replent, secundum longitudinem, latitudinem, et profunditatem et sic fit magnus pulsus. Si vero debilis fuerit pulsus, calore pauci generantur spiritus, et sic parvus pulsus; si vero mediocris fuerit, mediocris spiritus generantur et sic mediocris pulsus. Talis ergo consideratio percussionis, forte partem impellentem merito, dicimus primum genus pulsus si vero tantus sit calor quod possit dissolvere respirationem consumere humiditatem contentam in concavitate cordis et arterie, spiritus libere discurrentes per arterias et cito redeuntes ad cordem velociter, et cito percuciunt et sic velox fit. Pulsus non vero valuit ipsam constituere, frigiditate sibi repugnante, spiritus libere non possunt discurrere per arteriâs propter humiditatem impellentem. Decimus fit tardus pulsus, si vero ipsam humiditatem calor mediocris possit consumere, spiritus mediocris discurrunt et sic fit pulsus mediocris, merito ergo talis pulsus consideratur secundum genus. Item si tantus fuerit calor quod non tantum spiritus multiplicet, et humiditatem contentam in concavitate cordis et arterie consumat, sed humiditatem etiam contentam
169rA in ipso corpore arterie consumat et tocius humiditatis / frigiditatem consumptionem ipsam arteriam fit frigida, et fortis spiritus, multus veniens, et velociter, propter abscentiam humiditatis que in concavitatibus continebatur, ut dictum est, fortiter percutit arteriam ipsam et sic fit fortis pulsus. Si vero calor non consumat illam humiditatem, spiritus non poterit velociter, immo debiliter, repercutere et sic fit pulsus debilis si vero ex parte consumat, erit pulsus mediocriter fortis. Merito ergo talis consideratio repercussionis dicitur tantum genus pulsus, si enim habetis de tribus generibus pulsus quod consideratur secundum proprietatem motionis et que cause sunt cause pulsus magni, partim vel ceterorum.

Item, sicut dictum est, secundum consistentiam organi consideratur quartum genus pulsus, octavum et decimum, si enim calor consumpsit humiditatem arterie, tota arteria efficitur dura, unde spiritus, dum ipsam dure repercutit, fit pulsus durus. Si vero, propter abscentiam humiditatis, fuerit mollis, sua mollitie cedit spiritum advenienti, et ita fit pulsus

(23) GALENUS, *De pulsibus ad Antonium* XIX 634 K.

mollis (24); si vero mediocriter consumpta humiditate, fit mediocriter dura, pulsus erit mediocris. Talis enim consideratio repercussionis dicitur quartum genus pulsus.

Dicit ergo primum genus pulsus consideratur secundum quantitatem trium dimensitudinum, id est longitudinem, latitudinem et profunditatem; igitur iste, id est illius generis pulsus; *convenienter*, id est ex hiis omnibus convenientibus tribus scilicet dimensionibus; *augmentatur secundum istas tres dimensiones transcendens modum*, id est mediocritatem, propter fortem calorem multiplicantem, spiritus replentes arterias secundum trinam dimensionem. *Dicitur magnus* secundum genus pulsus consideratur secundum quantitatem motionis, id est moram, ut liberius fiat mora motionis velox dicatur pulsus, si longam tardus, scilicet mediocris et pulsus mediocris *diastoles*, id est elevationis *arterie sistoles*, id est depositionis. *In quo consideratur velox, tardus, vel mediocris* secundum predictam rationem, *tercium genus pulsus consideratur secundum tenorem virtutum*, id est secundum fortitudinem caloris
169rB virtutum, qui debet excitare virtutes ad / suas peragendas actiones, operationes *in quo consideratur fortis, debilis et mediocris*, quare ipse subdit *frequentia enim accipiens magnitudinem*, id est velocitas spiritus vitam cum magnitudine eiusdem. *Facit pulsus valideum*, vel dicamus quod auctor posuit differentiam inter magnus pulsus, omnis pulsus validus magnus est, sed non convertitur, quia magnus fit cum raritate validus cum velocitate; *quoniam enim dominatur virtus causarum*, id est calor naturalis, virtuosus operans causas, id est quando calor fortis est, multos generat spiritus, et humiditatem contentam in arterie concavitatibus consumens: *tunc magis fit validus*, quando velocitas innascitur, *et econverso*, id est quando contraria predictis emergunt, pulsus occurrit debilis.

*Quartum genus pulsus consideratur secundum consistentiam organi*, id est secundum habitum cordis arterie; *dico autem arterie cordis in quo consideratur durus, mollis, mediocris*, secundum assignatam rationem.

*Quintum genus pulsus, etc.* (25), posuit auctor superius nomina generum pulsus, quorum tria considerantur secundum proprietatem motionis, quartum quidem consideratur secundum consistentiam organi. Nunc ponit quintum, quod consideratur secundum spacium diastoles et sistoles (26), aliquando enim, ut prediximus, calor multos generat spiritus qui

(24) ALFANUS, p. 19 : Mollis pulsus secundum naturam molliciem et cordis significat humilitatem et flexibilitatem mentis. Mulierem vero vaalde mobilem et virum significat effeminatum.

(25) ALFANUS, p. 21: Quinta consideratio...

(26) ALFANUS, p. 20: Tertia consideratio pulsum habetur secundum sistolen et dyastolen, id est secundum spacium quod est inter dilatationem et constrictionem.

consumunt superfluam humiditatem existentem in concavitatem cordis et arteriarum, consumit superficialem humiditatem arterie, et consumit et profundat; per quem, omnia pulsus fiunt magni, fortes, et veloces, et duri, ut dictum est. Et quia consumpta humiditate pororum arterie qualitatis vigor innascitur, scilicet siccitatis spiritualia non possit ita libere dilatari, ut aerem attrahant ad mitigationem innati caloris, prout deberent reque superfluas fumositates paratas calorem naturalem conculcare a se expellere, quod ergo denegatur in quantitate, suppletur in vicissitudine, unde
169vA fit diastoles et sistoles pulsus; sic pulsus erit spissus et tardus, merito, / ergo dicitur, talis consideratio, quintum genus pulsus. *Quintus ergo pulsus consideratur secundum quantitatem quietis*, id est secundum spacium diastole et sistole, que sunt quies, eo quod cum sit diastoles et dum fit sistole expelluntur fumositates superflue, parate sua presentia calorem suffocare, attrahitur aer ad mitigationem innati caloris; *in quo consistit spissus*, si fiat spissa inspiratio et respiratio vel diastoles et sistoles; *rarus* si perfectum spiritum et supradictorum parva fit diastoles et sistoles. Unde subdit: *breve enim tempus quietis*, id est breve spacium diastolis, *si igitur est spissum, longum, vero* significat spacium *significat rarum*.

*Sextum genus pulsus* ponit, quinque genera pulsus considerata, tria secundum proprietatem motionis, quartum consideratur secundum consistentiam organi, quintum secundum spacium diastolen et sistolen; id est nunc ponit duo genera pulsus que considerantur secundum eorum consistencias, vel permutationes. Et forte diceret aliquis: ista genera pulsus semper servant equalitatem vel inequalitatem, dicit ergo hoc *sextum pulsus fit secundum equalitatem vel inequalitatem*; que equalitas vel inequalitas. *Consideratur in uno* pulsu, in uno genere pulsus ut in magno, magnus enim pulsus potest servare equalitatem sive inequalitatem. Magnitudinis enim pulsus potest servare equalitatem *et in pluribus*, id est in pluribus generibus pulsus ut in magno, veloce, forte, et sic de ceteris et ipse de utroque exemplificat. *In uno pulsu*, id est in uno genere pulsus *ut in capriçante*: capriçans (27) pulsus dicitur ad similitudinem capre, quia sicut capra bis aerem pulsat antequam ad terram cadat, sic pulsus capriçans duas facit diastoles et unam sistolen manifestam. Hoc est, fit autem natura debilitata et afflicta, nam cor aggravatur fumositate crossa, modice aperitur et fit alia diastoles, et ita
169vB fiunt due diastoles et una sistoles; si igitur iste / due diastoles sunt equales, pulsus erit equalis, si inequales inequalis, *si vero in pluribus fit*, id est in generibus pluribus pulsus *dicitur consistens inequalitas*, id est sub se consistens plura genera pulsus, quia in pluribus generibus pulsus potest servare equalitatem, vel inequalitatem. Et diceret aliquis quod omnis pulsus inequalis.

(27) ALFANUS, p. 21: Caprizans a capra dicitur, quae sic supersaliens bis pedem movet priusquam semel ad terram ponat.

Inequalis est moderatus, non unde dicit: *ubi vero inequalitas ibi inordinatio ut in omnibus*, id est secundum maiorem partem; *videri potest*, notandum vero est quod omnis inordinatus pulsus est inequalis, sed non econverso; verbi gratia, ecce pulsus modo est magnus, modo parvus, modo mediocris et econverso, talis est inordinatus et inequalis, sed modo magnus, modo mediocris, modo parvus, et sic continuo talis pulsus est inequalis, et tum est modo ordinatus, vel modo inordinatus. *Qui est decidens*, id est a sensu nostro cadens, *qui minor est una percussio* id est prima, autem *altera illarum duarum incidit*, id est nostro sensui occurrit, et unde fiat subdit: *hoc fit gravata et afflicta virtute*, id est calore naturali virtuoso, et spirituali virtute, que pulsus operatur; *ab aliqua causa*, ut ab igne. Talis ergo consideratio pulsus dicitur septem genus pulsus, potest enim precedens littera sic legi: *ubi inequalitas ibi inordinatio*, secundum differentem permutationem, quia ita est differens, pulsus, inequalitate et inordinatione, *vel aliter*, ubi inequalitas ibi inordinatio, id est quedam permutatio et confusio.

Ponit auctor similiter septimum genus pulsus, quod consideratur similiter, per consistentias vel permutationes pulsus. Quereret ergo aliquis, cum fiant ut prediximus predicti pulsus, si servent semper ordinem vel non, ut magni sint semper magni, parvi semper parvi, et sic de ceteris. Non ita dicit ipse. *Septimum genus pulsus fit secundum ordinem et inordinationem* (28) et qualiter dicit. *Incisio enim dicitur et decisio*, id est decidente, *inequalis pulsus*,
170rA cum sua scilicet inequalitate, / reductus ad equalitatem *facit equalem pulsus*, id est pulsus *et equalem secundum periodos*, id est secundum circulares revolutiones, ut equalis non fiat secundum ordine, ut si modo parvus, modo magnus, et iterum modo magnus, modo mediocris, modo parvus, vel sit *inordinatus et iste*, id est tam ordinatus quam inordinatus *parvus consideratur secundum unam percussionem*, id est secundum unum ergo pulsus, *et secundum plures reducciones*, id est secundum diversa genera pulsuum, et talis consideratio repercussionis, facte per nutu, dicitur recte septimum genus.

*Octavum genus pulsus, etc.* Nunc octavum genus pulsus, quod consideratur secundum consistentiam organi et secundum habitum substantie aeteriarum. Intendit auctor assignare, sicut igitur diximus, tria sunt genera, pulsus considerantur enim secundum consistentiam organi, secundum quantitatem. Octavum etc., de quanto assignata est, videlicet quia quando causa est fortis, qui spiritus multiplicat, et superfluam humiditatem concavitatis cordis et arteriarum, et etiam ipsorum arteriarum consumit, fit pulsus durus postmodum, dum propter siccitatem arterie fit spissus. Unde quinta consideratio et quintum genus habetur, item de septimo utrum sit equalis vel inequalis, de septimo utrum sit ordinatus vel inordinatus, nunc

(28) GALENUS, *De pulsibus ad Antonium* XIX 636 K.

merito sequitur de septimo genere pulsus dicens: *octavum genus pulsus est*, id est consideratur secundum *plenum* (29), id est propter humiditatem aeream et humiditatem aqueam unde dicitur plenus pulsus; et *vacuum*, scilicet per calorem predictis contraria operantem, sequitur inanitio arteriarum, unde pulsus vacuus, mediocris vero fit a mediocribus causis, quod fiat secundum plenitudinem vel vacuitatem. Subdit: *omne enim vas aut est plenum*, id est aut habet in se id per quod habetur inanitio et vacuitas, id est siccitatem et huius consideratio dicitur octavum genus pulsus.

170rB *Nonum genus pulsus*, assignat auctor nonum genus pulsus quod / consideratur *secundum concordiam*, id est collectionem aperte more ad occultam, vel maiorem, vel minorem. *In quo mensuratur* id est comparatur, *proporcio temporis*, id est collectio temporis, id est diastoles, *ad tempus*, id est ad sistolem, sed videtur diastoles maior sistoles vel econverso, quandoque enim per siccitatem, a forti calore inductam, fit constrictio arteriarum, et tunc maior diastoles sistoles. Unde pulsus fit decidens, quandoque, propter humorositatem aque, multiplicantur spiritus, unde magna diastoles, que magis est sistoles, et tunc pulsus fit incidens. Ideo subdit: *unde cognoscunttur deficientes et incidentes* pulsus, talis consideratio pulsus dicitur nonum genus pulsus.

Ultimo assignat auctor decimum genus pulsus, dicens: *genus decimum pulsus est*, id est consideratur, *secundum calorem qui redditur pro totum corpus arteriarum in quo consideratur qualitas*, id est caliditas vel frigiditas, *supposite (.......) corporis*, id est arterie, *velud distemperata*, id est frigida, *et mordax*, id est calida, frigiditas enim dum condempsat, partes multiplicantur, unde sequitur mortificatio. Calor vero, dum dissolvit et resolvit terrestres partes in igneas, ex ygneis mordacitas sequitur, et sic pulsus mordax, quod est signum adustionis, et talis consideratio dicitur decimum genus pulsus.

*Dictis, etc.*, hic quarte ⟨distinctionis⟩ est pulsum, in qua est PHILARETI intentio diversas pulsus differentias evidenter ostendere, dicit ergo: *dictis igitur decem egritudinibus pulsus, dicamus breviter paucas causas et differentias eorum*, id est pulsuum, *si quis enim ad diligentiam eorum pervenire desiderat, sciat XVI libros* «De negotio pulsuum» *GALIENI, vero et., pos⟨t⟩quam causam pulsantur arterie*, id est non efficientem, id est finalem causam. Auctor assignat utilita-
170vA tem per quam pulsus *ut servetur calor moderatus cordi et in omnibus / partibus secundum natura*, id est temperantiam, fit igitur sistoles ad egestionem fumosarum superfluitatum, que sua multitudine possit calorem naturalem suffocare; fit diastolem ad attractionem aeris ad mitigationem innati caloris, qui paratus erat incendere, et continuo motu cordis, et sic adurendo, sic igitur calor in moderantia servat iam dictis partibus.

(29) GALENUS, *Ibid.* XIX 637 K.

*Quid differt pulsus a saltu.* Ponit auctor differentiam inter pulsus et saltum, saltus enim et pulsus differunt in causa et loco, nam causa saltus est ventositas, causa vero pulsus est spiritus. In loco differunt, in saltu enim non tantum moventur arterie, unde dicitur: *quem saltus propter incidentem spiritum*, id est propter fumositatem in medio cadentem, *et in omni corpore*, id est in omni parte corporis, *pulsus vero in operationem* virtutum *movetur*, et fit per hoc quo mediante virtus operativa operatur, scilicet per spiritum, propter virtutem spiritualem moventem, et in arteris solis.

*Quid differt magnus pulsus a valido* (30), ponit auctor differentiam inter magnum pulsum et validum, notans quod magnus habet fieri quando pulsus occurrit, scilicet pulsus secundum terciam dimensionem, validus vero quando secundum unam vel duas, et ideo dicit : *quem magnus quidem secundum tres dimensiones consideratur, validus secundum motionem virtutum*, id est dimensionem, utpote si repercuciat unum ventriculum. Et subdit: *quia tenorem virtutum significatio* id est debilitatem; vel potest dici validus, qui fit secundum unam motionem, id est secundum unum genus pulsus, vel secundum unam motionem, id est secundum unam proprietatem motionis, scilicet secundum fortitudinem. Ponit etiam differentiam inter spissum et velocem.

*Quid differt spissus pulsus a veloce*, eorum ostendenda differentiam, spissus enim pulsus habet fieri, velud si aliquis currat non tamen ita velociter ad
170vB locum destinatum et non decurret sed stet, et inde / subdit: *secundum continuum et discretum, spissus vero continuus dicitur*, id est pulsus spissus fit secundum continuitatem actionis, cum fiat sine temporis intermissione; *velox vero secundum discretum*, id est secundum discretam temporis qualitatem, velud si aliquis currat velociter et stet.

*Quid differt rarus pulsus a tardo*, ponit differentiam inter rarum pulsus et tardum, dicens *quem rarus magis ab infirmiori virtute fit*, id est ex debiliori quam tardus. Tardus enim pulsus fit ex crassitie spiritus, rarus vero ex naturis debilitate, *rari enim pulsus difficiliores sunt* quam tardi, id est deteriores propter nimiam virtutem debilitantem.

Ponit inter genera auctor numeros differentiarum pulsus manifestarum, que proprie dant nobis noticiam dispositionis cordis, dicens: *quot sunt differentie diastole pulsus*, id est quot sunt pulsus differentie manifeste, per quas possumus habere noticiam dispositionis cordis. *Octo: magnitudo, parvitas, valitudo, debilitas, velocitas, tarditas, duricia, mollicies*, et licet declarent dispositionem cordis non tamen manifeste ut ista.

(30) GALENUS, *Ibid.* XIX 638 K.

*Quod sunt indicantia pulsus*, id est quot exinguntur ad hoc, ut perfecte habeatur indicium pulsus, *duo intellectus et sensus*, id est hoc exigitur, ut medicus sit theoricus et praticus, scilicet ut sciat per intellectum presencia vel futura; per sensum considerantem cognoscat presencia, unde dicitur *sensus siquidem*, id est consideratio per praticam: *indicat presencia. Intellectus vero*, id est consideratio per theoricam indicat *facta et futura*, id est indicat preteritas dispositiones et futuras.

Ponit causas per quas fit pulsus, unam efficientem et alteram finalem, dicens: *Quod sunt efficientes cause pulsus*, id est per quas causas fieri pulsus *due faciens motionem et movens corpus vasis*, id est arterie per spiritum, *et utilitas per*
171rA *quam / movetur* id quod movetur propter egestionem fumosarum superfluitatum et actionem innati caloris.

*Quot modis consideratur immoderatus pulsus?* (31)

*Quadrupliciter secundum magnitudinem*, id est secundum illius genus in quo consideratur magnitudo pulsus, inter magnum enim et parvum, mediocris, et sic de ceteris. Dicendum est *secundum velocitatem, valitudinem secundum spissitudinem*.

*Quid differt inequalis pulsus ab inordinato*, in hoc differt inequalis ab inordinata, quoniam inequalis cum modo sit magnus, modo parvus, modo medio, modo velox, modo tardus, modo mediocris, et ita fit, per talem inequalitatem servat ordinem; inordinatus vero, modo magnus, modo velox, modo parvus, et ita non servat ordinationem. Dicit ergo *quem inequalis* consideratur *in uno pulsu*, id est in uno genere pulsus, et qualiter dicit aut *secundum unam diastolen et sistolen*, id est secundum unum genus pulsus, *aut secundum una congregata*, id est plura genera pulsus, que dicitur *consistens inequalitas secundum magnitudinem pulsus considerata*; inordinatus vero fit secundum rithunos, id est secundum numerum non servatum.

*Quid differt deficientes pulsus ab incidentibus*, id est ⟨in⟩ hoc differt *quoniam deficientes ex inferioritate magis virtutes fiunt defici vero pugnantes et resistente*, cor scilicet et non debili, et vero semper ad bonum, contrarii vero ad malum. *Continens vero, se ipsam excitans, volens contraria repellere et videntur contrarii*

(31) GALENUS, *Ibid.* XIX 639 K: Quot modis observatur pulsus moderatus? Quattuor; secundum magnitudinem, secundum celeritatem, secundum vehementian et secundum crebitatem.

*esse deficientes incidentibus*, ponit nunc auctor differentiam inter pulsus spasmosum et ramosum. Spasmosum dicitur pulsus quando tota arteria est plena humiditatis, quod distrahitur secundum longum; ramosus vero fit propter replectionem arterie, sed specie non potest ita libere discurrere per arterias, sed collateraliter substrahitur, hinc inde et quasi ramos transmittit
171rB collateraliter quemadmodum arbor habet / ramos undique difusos. Dicit ergo: *Quid differt spasmosus a ramoso*, aliud sonat spasmosus pulsus et aliud ramosus tantum, *quoniam in spasmoso quidem tenditur arterie* propter humiditatem replentio; *ad instar*, id est *ad similitudinem corde tense*, in spasmo *vero transfertur dextra et sinistra*, ratione predicta, et quoniam mencionem fecit auctor de fluctuante pulsu, scilicet de ramoso, de eo subiungit *quomodo fiunt fluctuantes pulsus*, id est ramosi *ex habundantia continentis humiditatis*, id est pre habundantis, *et infundentis corpus arteriorum*, humiditatis et replentis exemplificat: *sicut in ydropico*, pulsus equalis contingit in laborante, illa specie ydropisis que dicitur Ypocrate (32).

Ponit differentiam inter pulsus capriçantem et bipulsantem, quia dicitur etiam martellinus (33). Est autem hec differentia, inter eos qui in capriçante fiunt d⟨u⟩e diastole et una sistolen, sed prima diastole est minor secunda, sicut est videri in saltu capre quecumque repercurtit aerem in saltu bis pedibus, prima repercussio minorem secundam antequam ad terram cadat. In martellino vero pulsus, cum fiant due diastoles et una sistolen, prima diastole, econverso, maior est secunda vel ei equalis; fit autem per duriciem arterie, eo quod fit exausta substantialis humiditas arterie, et ex hoc indurata non cedit pulsus sicut, est videri ⟨in⟩ incude, qui cum percutitur a martello non cedit ei propter sui duriciem, prima repercussio maior est secunda vel ei equalis.

Dicit ergo: *quid differt capriçans pulsus a pulsante, secundum quod capriçans quidem in una diastole*, id est in una manerie predictorum; *differentes facit motionem*, id est diastolen a differentes; *utraque sursum saliens saltat pedibus in aere, hoc vero fit coacta virtute et gravata ab aliqua causa turbante equali*. In capri-
171vA çante, ex *virtute, dum cor movetur ad attrahendum aerem ad* / mitigationem innati caloris, pulsus dilatantur, in secunda vice quam in prima, et ideo secundum diastolen, maior est prima, in bis pulsante, vero, magis dilatatur in prima vice, quam in secunda, et ideo maior es prima diastolen, secunda, *bis pulsans et secundum eandem pulsat*; *repercussionem*, id est secundum unum genus pulsus: *hoc vero fit propter duriciem corporis arterie, repercuciente enim et rursum currente violenter spiritum, in secundam, venit repercussionem, ut incude malleus.*

(32) HIPPOCRATES, *locus non inveni.*

(33) GALENUS, *De pulsibus ad Antonium* XIX 640 K; *De differentiis pulsuum* I 28, VIII 556 K.

Ponit differentiam inter vermicolosum, ⟨et⟩ formicantem, vermicolosus cuius motus asimilatur motui vermis, formicans vero cuius motus assimilatur motui formice. Unde utriusque virtutum defectum significat, sed maior est formicans quam vermicolosus, formicans dicitur cauda[v] soricina finitam, vermicularis dicitur soricina tornativa, dicitur autem vermiculosus sic: quia prius occurrit, paulatim augmentatus occurrit magnus, et dicitur ad similitudinem caude quia incipit ab angusto in amplum protenditur; quod vertitur in pulsu formicante, qui dicitur cauda soricina finitam, ad similitudinem caude ipsius muris, que incipit a diffusione lati et desinit in acutum, et iste ad malum fit quandoque scilicet sensui nostro occultatur, ille vero ad BO., qui sensui nostro occurrit.

*Dicit ergo: quid differt pulsus vermiculosus a formicante, quoniam vermicolosus quidem plurimum convertitur*, id est significat conversionem spiritus factam esse in corpore; *et venit in melius et manifestam habet magnam inequalitatem secundum dissoluta*, id est debilitata, *et deleta*, id est destructa, *et mortem significat*, id est anime a corpore solucionem.

171vB Nota / quod pulsus decisio, multipliciter consideratur, nam si hodie invenitur pulsus magnus, et cras minor, et si deinceps tendit ad defectum, decidens dicitur. Item si sistolen fiat maior diastole, talis pulsus dicitur similiter decidens. Item si inveniatur pulsus equalis usque ad vicesimam percussionem, et in vicesima percussione deficiat, postea XV dande in XII, et sic semper diminuendo talis similiter dicitur decidens tot modis, set contrariis dicitur incidens nam incidens, et decidens sunt contrarii. *Expliciunt glosule.*

a) *soprascritto* est.
b) *soprascritto* aut ...nature.
c) *ms.* decisionem, *correggo in*: distinctionem, *qui e oltre.*
d) *soprascritto* et breve.
e) *aggiunsi* id est.
f) *soprascritto* aer.
g) *soprascritto* et sistolen... et.
h) *ms. espunge* -nem *in* egestionem.
i) *soprascritto* parate.
l) *soprascritto* descriptionem.
m) *ms.* defecte.
n) *ms.* Impueris, *correggo* in pueris.
o) *ms. bis* cum.
p) *ms. depenna* virtutum.
q) *ms.* magni, *correggo in* minores.
r) *ms. depenna* etatem.
s) *aggiunsi* ut.

t) *aggiunsi* Pulsus.
u) *soprascritto* digitorum pulpas.
v) *ms.* causa, *correggo in* cauda.